



Ioannes natus est in Oberenbüren ditionis Ab-
batis S. Gallensis. Hunc parentes ob præclaram
ingenij dotem amicorū suasu literis manciparunt,
atq; in scholis erudiendum curarūt. Cum is aliquā
cognitionem bonarum artium hausisset, ad S. Gal-
li monasterium peruenit, & ibidem Benedictino-
rum ordinē assumpsit. In eo loco multò diligētius
libris incubuit, & mutis præceptoribus operam de-
dit. hinc factum ut haud contemnendam sacrarū li-
terarum notitiam acquisierit. Accedebat & natura-
lis facundia qua mentis cogitata commodè profe-
rebat. Itaq; abbas eius loci (qui & princeps nume-
ratur) hūc Ioannem eo tempore, quo rustici 1525 tu-

multum in Germania excitarant, concionibus præfecit, atq; suos subditos in
officio continere iussit. id quod ipse per 20 annos magno auditorum concur-
su diligenter præstitit. Tandem fato functus anno 1545 ibidem honorificè se-
pultus, atq; præclaro epitaphio exornatus fuit, quod tamen altius à terra
positum, ob literæ exiguitatem (cum 1565 ibi essem) legere haud
potui. Anon.